

agit in solum cerebrum; etenim in solo cerebro vitioso, ita ut cetera membra remaneant sana, sensuum omnium usus amittitur; hinc apoplexia correpti, veluti invisibili fulmine percussi omni sensu privantur: ita ut aciculis compuncti, aut corpore etiam dissecti nihil sentiant, obstructis scilicet cerebri poris, vel compressis nervis nimia humoris pinguis aut tenacis vel lentioris copia, impedito scilicet per hunc humorem spirituum influxu. 2. Corporis affectiones, quæ non transmittuntur ad cerebrum, mentem profus latent, ut in paralyti. . . . 3. Constat ex probatione primæ partis omnia sensuum organa, omnes scilicet nervos concurrere in cerebro, & ex eadem cerebri parte ducere originem, ex qua deinde in omnes corporis partes diffunduntur; anima nempe in eo loco posita ad quem appellant nervi omnes, in quibus continentur spiritus vitales sensationum instrumenta, tamquam regina in medio imperii sui admonetur de omnibus per nervorum motus, & inde facilius omnia perspicit & dirigit, immittendo in nervos spiritus animales, per quos pro arbitrio suo omnes corporis partes moveat. Hinc fit ut sæpe experiamur vapores, qui e stomacho in cerebrum ascendunt, ibique condensati meatus, per quos spiritus animales excurrunt, obstruentes sentiendi potentiam tollunt. Hinc phreneticis in quibus læsa imaginatio est, remedia capiti solent adhiberi. Hinc qui seriis rebus occupantur, aut longo studio fatigantur capitis dolorem sentiunt, immo nos-

me-